Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1211

Quelle:
Copyright:

lice recipere deberemus, licet in ſalua conſciencia potuerimus admiſiſſe, qui uniuerſis ad nos deuote clamantibus fauorem tenemur apoſtolicum impertiri, ne tamen contra excellentiam tuam de fauore noſtro exiſterent inſolentiores, peticionem ipſorum nequaquam admiſimus, ut tua prouidentia non ignorat, quod inter te et ipſos pacem et concordiam noluerimus diſturbare. Quod ſi forte uoluiſſemus, aliter negotia proceſſiſſent. Venerabili fratri noſtro S. (id eſt Sicardo, qui in Chronico ſuo, quod ex Codice Caeſareo inter Hiſtoricos indicamus, de ea pacificatione ſic loquitur: *Anno MCLXXXVI. Imperator quoddam caſtrum cremonenſium, manfredi nomine vocabatur, omnino deſtruxit. Sed auctore domino per meum miniſterium facta eſt inter imperatorem et ciues meos reconciliatio*) *cremonenſi epiſcopo ad Tractatum ipſius pacis intenderet, dedimus in mandatis, ut de reformanda concordia, omni qua poſſet ſollicitudine laboraret. In quo, ſi quam habeas materiam conquerendi, ſerenitas tua conſideret, quia nos id recurrentes ad memoriam conſcientiam* (conſcientiae) *non uidemus. Epiſcopis autem vel ciuitatibus Longobardie nequaquam nos prohibuiſſe meminimus, ne magnitudini tue in impugnatione cremonenſium ipſorum aſſiſterent, et conſilium et auxilium debitum miniſtrarent, licet Epiſcopos ab hoc merito potuerimus prohibere, cum eccleſiis italicis nequaquam hactenus fuerit conſuetum, banc ſeruitutem imponere et imperialibus priuilegiis expreſſe, ſicut tua ſerenitas non dubitat, habeatur, quod ipſis eccleſiis nouas conditiones tua non debeat inducere altitudo. Nec graue excellentiam tuam gerere uolumus vel moleſtum, ſi eos, qui commiſſas ſibi eccleſias tam indebitae conditioni ſubicere preſumpſerunt, auctore deo paſtorali Officium* (ſic) *compeſcamus. Quibusdam tamen pro certo injunximus, ut poſſeſſiones et bona eccleſiarum cremonenſis dyoceſis in imperialis collatione auxilii non uaſtarent. Quod quidem injuncti nobis officii debitum requirebat, qui tenemur eccleſiarum omnium ſtatui prouidere; ſi que uero alterius tenoris littere emanarunt, eas libenter uoluimus nobis preſentari, et ſi de noſtra conſciencia proceſſerunt, cum nonnullis quandoque, ſicut a ſerenitate tua, ita a nobis littere ſurrepticie inpetrentur, nequaquam negabimus ueritatem. In his omnibus et aliis, dum conſcientiam et affectus noſtros ſolicita inueſtigatione diſcutimus, nil in nobis uarium contra tuam excellentiam inuenimus, ex quo iuſtam habeas materiam conquerendi, niſi forte occaſionem poſtules diuertendi ab amico. Nos uero, quot et quanta a te et excellentie tue miniſtris contra conſtitutionem diuinam et eccleſiaſticam libertatem inpune hactenus ſuſtinuerimus attemptata, necquaquam ſine conſciencie dampno recolimus, et imperialem non credimus ignorare* (excidit dictio *Serenitatem* vel quid ſimile) *Nam,*

ut